Fragmentarium

Dñica prima aduentus domini.

Ad te leuaui animam meam deus meus in te confido non erubescam neque irrideant me inimici mei et enim uniuersi qui te expectant nõ confundentur. ℣. Vias tuas domine demonstra. evovae.

Excita collecta. quesumus domine potentiã tuam et ueni: ut ab imminentibus peccatorũ nostrorum periculis te mereamur protegente eripi. te liberante saluari. Qui uiuis et r.

Res: ad romanos. Scientes quia hora est: iam nos de somno surgere. Nunc autem propior est nostra salus: quam cum credidimus. Nox precessit: dies autem appropinquauit. Abiciamus ergo opera tenebrarum: et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus. Non in comessationibus et ebrietatibus. non in cubilibus et impudiciciis. nõ in contentione et emulatione. Sed induimini dominum ihesum christum.

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 120, f. 1r – Missal (use of Noyon) (https://fragmentarium.ms/view/page/F-wbuv/8840/66704)